



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De speciebus entis spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

LIBER OCTAVVS.

*De speciebus, & habitibus entis incorporei negativè sumpti,
sive entis spiritualis.*

TRACTATVS I.

De speciebus entis spiritualis.

CAPVT I.

An species aliquæ admittenda sint?

SPECIES impressa, ac intentionalis (de qua modo disputaturi sumus) in eo differt à specie Logica, siue prædicabili, quòd hæc sit ratio communis, illa vero singularis; à specie vero Physica, siue forma externa rei, quòd hæc sit qualitas corporea rebus non cognoscitiuis plerumque conueniens, illa vero spiritualis esse possit, & nonnisi principiis cognoscitiuis competat; à specie vero expressa, quòd hæc sit ipsa cognitio, illa vero principium cognoscendi; ab intellectu vero, quòd hic sit principalis causa cognoscendi, seu id quod cognoscit: illa vero instrumentum, quo intellectus cognitionem efficit, ad eiusve effectiorem determinatur; ab habitu vero in eo, quòd hic ad faciliè cognoscendum iuuat, & sine eo consequenter prima cognitio semper eliciatur, cum tamen species intentionalis ad primam cognitionem, & sequentem, non tantum facile, sed simpliciter eliciendam necessaria sit; à specie tandem obiectiua, quæ nobis obuersatur, in eo, quòd hæc cognoscatur, illa vero non cognoscatur, sed obiectum cognosci faciat. Grauis igitur, ac valde controuersa inter scholasticos quæstio est; an species intentionales cum hoc rigore, & proprietate sumptæ admitti debeant? Quod enim species intentionales, aut impressæ, si pro cognitione sumantur, aut etiam pro habitu, aut pro obiecto cognito, sicut sumi posse notat Gabriel in 2. distinct. 4. quæstione 1. notat. 3. quod, inquam, species ita sumptæ admittendæ sint, modò non controuertitur, sed potius velut omnino compertum, vel alibi probauimus, vel infra probabimus.

Species igitur strictè sumptas admitti oportere existimant Capreolus in 2. distinct. 3. quæst. 2. art. 3. Caietanus, Ferrara, & communiter alij Thomistæ super B. Thomam part. 1. quæstione 55, articulo 2. Item cum Scoto in 1. distinct. 3. quæstione 7. communiter eius asseclæ, ex nostris etiam Suarez, Vasquez, Molina, & alij non pauci: fundamenta autem huius sententiæ varia, ac multiplicia, & non in omnibus potentiis cognoscitiuis eadem sunt. A visu ergo ad probandas species omnium optimo medio incipiamus: in speculo videt quis clarè, ac distinctè faciem suam, quam tamen sine speculo nequit videre: at hoc aliunde oriri nequit, nisi quia facies emittit species sui ad speculum, quæ cum trans illud migrare non possint, ab eo ad oculos reuerberantur,

in illisque obiecti sui visionem efficiunt. Rursus secundo: conspicienda ad videndum clarius, & perspicacius non paucos iuuat: at non alia de causa, nisi quia species visuales, quæ per ea ad oculos committuntur, in vitro, vel crystallo (quæ est eius densitas, ac diaphaneitas) intenduntur, sicut etiam radij lucis in eo vires, intensioremque sumunt: atque ad eundem modum species magis intensa ad potentiam perueniunt, intensioremque, & perfectiorem visionem in illa produciunt. Tertio obiectum, si valde distat à potentia visiva, ab ea conspici non poterit: & quò magis ab ea distat, eò minoris quantitatis appareat: at huius alia ratio esse nequit, nisi quia obiectum emissionem specierum sola videri potest: tanta autem esse potest distantia, ut ab obiecto finitæ virtutis species vel ad potentiam non perueniant, vel ad eam valde tenuis, ac remissa perueniant. Plures alias experientias his similes adducit P. Molina 1. p. q. 55. art. 2. disp. 1.

Iam vero species admittendas esse in auditu hisce experientiis comprobari solet: prius videtur fulgur, quàm audiatur tonitrus: priusque etiam videtur à longè percussio ligni facta à securi, quàm sonus percipiatur: at non alia de causa, nisi quia species visuales in instanti diffunduntur more ipsius lucis, quam repræsentant; species vero resonabiles, & auditivæ, nonnisi successivæ, atque in tempore instar soni, quem audiri faciunt: illæ ergo prius ad oculos, quàm hæc ad aures deueniunt. Secundo eadem indiuisibilis vox simul auditur à mille hominibus in eadem Ecclesia: at non ex eo, quod secundum esse reale ad eos perueniat: tum quia incredibile est, eandem vocem exiguum in tot partes diuidi, ac disseminari: tum etiam quia permixta ea diuisione, ac concisione soni quantumvis minimi, ea nihil ad perceptionem obiecti refert: nam cum totum obiectum, totusque sonus simul ab omnibus percipiatur, profecto non secundum minutissimas partes sui, sed secundum se totum ad omnes peruenire deberet, si eius præsentia secundum esse reale ad audiendum necessaria esset: ergo non secundum esse reale, sed secundum esse intentionale, siue secundum speciem sui ad potentiam auditivam peruenit: quod enim alterutro modo ad eam peruenire, & aliquid usque ad illam operari debeat, omnino exploratum est; aliàs sonus ille in quantavis distantia exaudiri posset. Præterea in sensu interno atque communi suas etiam dari species suadet: quia in brutis datur memoria, ut multis experientiis liquet: at sensus internus belluinus non determinatur seipso præcisè ad memoriam præteritorum; aliàs eorum nunquam obliuisci, & nunquam non actu recordari posset: neque etiam per actus sensuum externorum, eorumve species; utrisque enim vel sono, vel alia de causa soporis reminiscencia tamen præteritorum non præterit, sed potius perseverat: neque etiam per ipsa obiecta iam transacta, & non existentia; in hoc enim statu quo pacto operari, aut potentiam

potentiam determinare queant: aut si queunt non propterea existentia, sed propterea possibilita, cur id munus potentiam internam determinandi, atque ad memoriam excitandi semper non exercent, cum semper possibilita sint? Reliquum igitur est, ut species interna, ac memoratiua admittantur.

4 Tandem in intellectu etiam dari species impressas spirituales, probatur sequentibus argumentis, quorum pleraque in omnipotentia cognoscitiua militant. Cognitio intellectualis est imago sui obiecti: ergo ab eo producit: propterea enim imago Patris æterni est Verbum, quia ab eo producit: creaturarum vero imago ob id minimè censetur, quia licet eas repræsentet, ab iis tamen neque mediata, neque immediatè provenit. Tum sic: cognitio intellectualis non producit ab obiecto immediatè, utpote quod sæpè distat, ac sæpè non exilist; neque etiam à phantasia: tum quia anima separata sine ullo phantasmate cognoscit: tum etiam quia phantasma est quid materiale: quò ergo fieri potest, ut cognitionem spirituales loco obiecti efficiat? Admittendæ igitur sunt in intellectu species impressæ spirituales, quæ sint vicariæ obiecti, eiusque loco, ac nomine ad cognitionem concurrant. Rursus secundo: intellectus est indifferens ad hoc obiectum, vel aliud hic & nunc cognoscendum: eiusmodi autem indifferencia tolli, ac determinari nisi per species non potest: non enim ab ipso intellectu præcisè, cum hic ad cuiusvis obiecti cognitionem suapte natura indifferens sit: neque etiam ab ipso obiecto, cum hoc non habeat plus iuris, ut ab intellectu cognoscatur, quàm aliud quidvis obiectum, præsertim cum vtraque distantia, & non existentia ex æquo sint: neque etiam à phantasmate; tum ob rationem paulò suprà in simili insinuatam; tum etiam quia intellectus cognoscit entia spirituales; ad horum autem cognitionem determinare nequit phantasma, aliàs ea percipere deberet; sicut cognitio spiritualis determinare nequit ad amorem, nisi eius obiectum prius attingat: at phantasma corporeum entia incorporea percipere nequit, ut libro 6. tractatu 2. cap. 2. ostendi. Postremo, & ultimo: causa adæquata alicuius effectus, omnes eius formalitates continere debet: at intellectus secundum se, & seorsim à speciebus non continet omnes formalitates cognitionis: eius ergo causa adæquata esse nequit: ac proinde ad eius productionem ministerio specierum egebit. Maior suadetur: quia ob id intellectus nequit esse causa adæquata actus supernaturalis, fidei, v. g. quia etsi eius vitalitatem contineat, non tamen eius supernaturalitatem; ac proinde ratione illius habitum supernaturalem fidei insuper postulat. Minor verò suadetur, quia in cognitione quavis duplex inest formalitas, nimirum vitalitas, & repræsentatio obiecti: licet autem intellectus priorem formalitatem contineat, non tamen posteriorem; & sic specie eam continente indigebit.

CAPUT II.

Quæstionis resolutio.

5 Dissiteri non possum, sententiam fundamentis hæcenus positis tibicinatam, valde probabilem esse: ceterum contraria sententia species illas intentionales negans, suâ probabilitate non caret, eamque tenent Henricus quodlibeto 5. quæstione 14. Gregorius, Gabriel, & alij Nominales: item Durandus in 2. distinctione 3. quæstione 6. & alibi sæpè, Galenus etiam libro sexto, de decretis Hypostasis capite sexto,

R. P. Richardi Lyncei, *Philosoph. Tom. III.*

Porphyrius Plotinus, Gamius, & alij. Probatur autem hæc sententia, quia si eiusmodi species, quales superius explicatæ sunt, vel in intellectu, vel in sensu nostro darentur, eas proculdubio experiremur: at eas non experiremur: aliàs eas negare, aut etiam in dubium vertere non possemus. Maior autem perspicua est: sicut enim nos habere intellectum, & voluntatem, sensus externos, & internos, item harum facultatum actus, & actuum exercitio ingeneratos habitus experiremur; cur eiusmodi species inexpertæ nobis essent, quasi vero ad alia cognoscenda iuvare non possent, nisi ipsæ incognitæ forent, & res à se distinctas in lucem proferre non possent, nisi ipsæ in abdito laterent. Adde etiam non esse multiplicandas entitates sine virginti necessitate: eiusmodi autem specierum nullam necessitatem, aut utilitatem esse, ut solutione argumentorum constabit. Ad primum argumentum pro speciebus potentia visiva, respondeo negatâ maiori: neque enim quis in speculo faciem suam immediatè videt, sed potius eius uniuocam similitudinem irradiatione lucis, & coloris in speculo delineatam: haud aliter, ac communiter dici consuevit, solem imprimere plures sui imagines imperfectas in nubem sibi oppositam, quoties iris in aëre apparet. Dices tamen: si similitudo, ac imago uniuoca faciei in speculo depicta nobis appateret, ea quidem in extrema speculi superficie, non vero in longa quadam trans illud distantia nobis appateret; ibi enim videri debet, ubi quasi depingitur: consequens autem experientiæ repugnat. Verum sicut in contraria sententia facies immediatè videtur, non ubi est, sed potius ubi non est; ita similiter de eius imagine philosophari poterimus. Ratio autem in vtraque sententia est, quia distantia faciei à speculo repræsentari debet; vel immediatè, si facies ipsa immediatè videatur; vel mediata, si nisi eius imago non videtur. Hinc colligere est decisionem eius quæstionis, quam summa elegantia, & eruditione tractant Conimbricenses 2. de anima; an nimirum facies in speculo, an eius species intentionalis videatur? Quamvis autem plures Auctores faciem solam immediatè videri censcant, alij verò solam speciem intentionalem, reliqui vero vtramque: nobis tamen probabilius videtur, quod nuper statuimus.

Ad secundum argumentum respondeo negatâ maiori: in primis enim dici potest, conspiciat visum iuvare, non quod species in crystallo magis intendatur, sed quod radij visuales, quos per crystalum ire, & redire in Physica libro decimo, tractatu quarto diximus extero lumine commissi, in crystallo lucidiores fiant. Secundo dici potest, lucem, quæ ab obiecto reflectitur usque ad potentiam esse conditionem sine qua non obiectum in potentia visionem produceret, cum nihil operari possit indistans, non operando prius in medio: cum ergo lux producta in medio ab obiecto sit intensior ratione crystalli, mirandum non est, quod variata scilicet conditione effectus varietur, atque in potentia intensior visio producat. Ad tertium respondeo, ob id obiectum in quavis distantia videri non posse, eo quod lucem in quavis distantia per medium operari, & usque ad potentiam reflectere nequeat: operari autem in medio necessariò debet ad hoc, ut visionem in potentia à se distanti immediatè producat. Hinc etiam est, ut in magna distantia obiectum minus appareat: quia virtus obiecti operatione per medium diffusa minor redditur;

P p 2

atque

atque adeo minorem, & debiliorem visionem in potentia à se distant operatur. Ad argumenta pro speciebus auditivis adducta dici potest, sonum distantem immediatè non percipi, sed alium ab eo successivè usque ad potentiam diffusum, qui tamen cum alterius imago naturalis sit, alterius distantiam representat: ac proinde, cum præsens sit, absens tamen videtur. Illud autem argumentum, quo species memorativas in sensu interno dari probatur, non eas quidem, sed potius habitus in sensu illo dari convincit: etsi in nobis solis, non tamen in belluis habitus appelluntur, nimirum quia non quævis facultates, sed eæ solum, quæ dominio rationis subditæ sunt, habituum nomine veniunt.

7 Ad primum argumentum pro speciebus intellectualibus respondeo, non omnem cognitionem creatam mediatè, aut immediatè ab obiecto produci debere: atque adeo originem illam ab obiecto, vel ad rationem omnis imaginis necessariam non esse, sed solum illius, quæ strictissimè imago est: vel certè non omnem cognitionem creatam obiecti sui imaginem esse. Quod autem de ratione cuiusvis cognitionis creatæ non sit, ut ab obiecto suo mediatè, vel immediatè oriatur, conspicuum est in carentia, & ente rationis: hæc enim obiecta cum entia realia, ac positiva non sint, cognitionem sui aut immediatè, aut etiam mediâ specie à se diffusa causare non possunt. Ad secundum argumentum respondeo, indifferentiam intellectus ad hoc, vel illud obiectum cognoscendum non posse tolli per species illas intelligibiles, vel potius intelligibiles: aliàs Angelus cum simul habeat species rerum omnium à se cognoscibilium, eas simul actu cognosceret: indifferentia igitur intellectus ad cognoscendum vnum obiectum præ alio, interdum tollitur per imperium voluntatis, interdum vero per phantasmata corporea: quamvis enim hæc non attingat res spirituales ab intellectu cognitæ, attingunt tamen res corporeas, per quarum similitudines eæ cognoscuntur: quæ ratione cognitio terminata ad imaginem Cæsaris, ad ipsius Cæsaris immediatam cognitionem intellectum determinat. Ad tertium argumentum respondeo, intellectum se solo continere formalitates omnes cognitionis: sicut enim species impressa quamvis iuxta adversarios non sit formalis representatio obiecti, sed duntaxat virtualis, continet tamen formalem representationem obiecti, propriam cognitionis: ita similiter intellectus quamvis solum sit virtualis representatio obiecti, formalem continebit: aliunde vero vitalitatem, aliasque formalitates continet.

CAPUT III.

*An possibilis species impressa Dei
clare visi?*

8 **V**Sus obtinuit, ut quæstio hæc, cum Theologica sit, à Philosophis tamen omnino non prætèrmittatur: ea vero non nisi permixtis speciebus locum habet: facta autem hæc suppositione speciem impressam Dei clare visi impossibilem esse plures Theologi tuerentur. Arguunt primò: quia Deus videtur per essentiam, ut fide sanctum est: ergo non per speciem. Facile tamen respondeo, Deum videri per essentiam, & videri posse per speciem: per illam, tanquam per obiectum immediatum visionis: per hanc, tanquam per eius principium. Arguunt secundo: Deus est summè intelligibilis intelligibilitate proxima, & immediata: hoc enim ad eius perfectionem attinet: ergo per speciem

à se distinctam intelligibilis reddi nequit. Respondeo, Deum non esse summè, ac proximè intelligibilem per seipsum essentialiter: tum quia si nolit concurrere per modum obiecti cum intellectu Beati illustrato lumine gloriæ, non erit ab eo proximè intelligibilis per visionem beatificatam etiam, quia ut intellectus Beati per aliquid à Deo distinctum, est proximè potens intelligere, ac videre Deum: ita etiam essentia divina poterit esse proximè potens intelligi, siue immediatè intelligibilis per aliquid à se distinctum. Arguunt tertio: res superioris ordinis nequit representari per species inferioris ordinis: at omnis species impressa creata est inferioris ordinis respectu Dei: per eam ergo representari nequit. Respondeo distinctam maiorem superioris ordinis nequit representari per speciem, siue imaginem obiectivam, inferioris ordinis, concedo maiorem: non potest representari per speciem inferioris ordinis, non obiectivam, seu quæ non obiectum cognitum, sed principium, aut ratio cognoscendi sit, nego maiorem. Ratio huius est, quia inter speciem priori modo sumptam, & rem representatam uniuoca, & specifica similitudo reperiri debet, ut in Cæsare, & eius imagine patet: utrique enim similes colores in sunt. At inter speciem posteriori modo sumptam, & rem representatam hæc similitudo non requiritur: aliàs Deus à nobis immediatè cognosci non posset. Arguunt quartò: species illa impressa à Deo naturaliter fluere; haud aliter ac species candoris, v. g. & reliquæ species à suis obiectis naturaliter fluunt. Rursus à Deo naturaliter fluere non possunt; aliàs Deus naturaliter videri posset. Verum prior contradictionis pars facile negari, & difficulter ab adversariis probari potest: cur enim omnes species supernaturales ab obiectis suis naturaliter dimanent.

9 Misiss autem his, & aliis argumentis minoris momenti, melius nostri Auctores arguunt: species impressa suapte natura est instituta ad suppleendam distantiam, aut improprietatem obiecti: at essentia divina neque est distans, neque improprietata respectu intellectus illustrati lumine gloriæ: igitur hic per speciem impressam illam videre nequit; aliàs eiusmodi species munus speciei minimè exerceret. Maior videtur perspicua: dempta enim obiecti distantia, & improprietate nulla species eius vicaria à Philosophis assignata fuisset. Instant tamen aliqui hoc argumentum: quia eo etiam videtur convinci, Angelum non posse divinitus se per speciem impressam intueri, utpote qui à seipso absens, aut respectu sui improprietatus esse nequit. Verum tamen hæc instantia difficultatem non facit: quid enim refert, implicare speciem impressam, qua Angelus à seipso videatur? Deinde hoc inconueniens, si tale illud esse quis contendat, haudquaquam sequitur: fortassis enim cognitio, qua Gabriel seipsum cognoscit, in Michaele esse potest, eumque cognoscentem denominare: species ergo impressa, qua Gabriel seipsum divinitus cognosceret, posset suapte natura instituta esse ad suppleendam distantiam vnius Angeli ab alio; licet hic & nunc per accidens eam non suppleret. Fortassis etiam eadem species impressa deseruire posset ad efficiendam cognitionem, quæ Michaele cognoscit Gabrielem, & cognitionem etiam, quæ Gabriel seipsum cognoscit; quamvis utraque cognitio modus esse supponatur, scilicet ob exiguum utriusque dissimilitudinem ratione obiecti, & ratione principij: hoc ergo modo inconueniens etiam evitatur. Absolutè respondeo speciem impressam suapte natura institutam esse ad suppleendam improprietatem obiecti, vel formalem, vel radicalem: Deus autem respectu intellectus illustrati lumine gloriæ formaliter, & proximè improprio

improportionatus esse potest; nimirum si nolit cum eo concurrere ad claram sui visionem. Deinde dici potest, speciem institutam esse ad supplendum concursum per modum obiecti, si obiectum immediate non concurrat propter distantiam, siue propter improportionem, siue etiam quia renuit concurrere; utcumque hæc nolitio concurrendi improportio ab aliquibus minimè appelletur.


10 Arguunt sexto alij, concursum Dei per modum obiecti ad claram sui visionem esse ei tam connaturalem, & debitum; ac concursum per modum causæ vniuersalis: hunc autem ab eo nulli creaturæ delegari posse: aliàs dominium de medio tolleretur: data enim illa hypothese, non posset impedire operationem causæ creatæ per suspensionem sui concursus vniuersalis, utpote quem alicui qualitatè iam delegasset: igitur causa creatæ ea qualitate effecta, etiam renuente Deo necessarîo operaretur. Quemadmodum ergo nequit dari qualitas supplens concursum Dei instar causæ vniuersalis, quia nimirum eius dominio derogaret; ut dictum est; ita similem ob causam non poterit admitti qualitas eius concursum obiectiuum, & particularem in visionem sui, adeoque nec species impressa, qua videri possit. Respondeo primò, dari posse qualitatem creatam, quæ, non obstante diuini dominij perfectione, eius concursum per modum causæ vniuersalis saltem inadæquatè suppleat: Deus enim ratione concursus vniuersalis inadæquati, quem sibi reseruaret, causam creatam etiam ea qualitate instructam ab operando cohibere posset: quidni ergo dari possit etiam qualitas creatæ, quæ suppleat saltem inadæquatè concursum Dei per modum obiecti, & causæ particularis? eiusmodi autem qualitas species esset. Respondeo secundò fortassis dari posse qualitatem quæ suppleat etiam adæquatè concursum Dei per modum causæ vniuersalis ad aliquem destinatum effectum, ad quem tanquam causa particularis Deus concurrat: hoc enim posteriori concursu in se translatò, siue, si proprius ac debitus est, reseruato, eius vi poterit existentiam effectus impedire, si velit, ac proinde illi absolutissimè dominari. Simili ergo ratione perfectissimum Dei dominium stare poterit admissa: siquidem impedire poterit claram visionem sui in eo euentu, licet non per modum causæ particularis, aut obiectiuæ, ac saltem per modum causæ vniuersalis: cur ergo eiusmodi species totum etiam concursum obiectiuum supplens repugnet, attento dominio Dei?

11 Septimum argumentum contrarium est huiusmodi. Deum concurrere per modum causæ vniuersalis ad claram visionem sui, & concurrere ad illam per modum obiecti omnino aequipollent, cum fieri nequeat, ut Deus tanquam causa vniuersalis visionem sui efficiat, quin eius obiectum sit: ac repugnat qualitas supplens concursum Dei per modum causæ vniuersalis in eius visionem: ergo & qualitas supplens illius concursum per modum obiecti; ac proinde species impressa illius intuitiua. Ita argumentatur sapientissimus P. Lucas Guadin supremi Senatus Inquisitionis Centor, & in Salmanticensi Academia pro Societate nostra Theologiæ primarius quondam professor: vir iudicii maturitate, ingenij acumine, religiosa motum grauitate, summaque apud Principes viros auctoritate clarus, ac celebratissimus siquis alius. At pace tanti viri argumentum superius, cuius primus fuit Auctor non vno modo solui potest. Atque in primis dici potest non repugnare qualitatem, quæ suppleat inadæquatè

R.P. Richardi Lincolniensis, Philosoph. Tom. III.

concursum Dei per modum causæ vniuersalis in claram visionem sui iuxta ea, quæ nuper diximus. Deinde falsum est, in idem coincidere concursum Dei per modum causæ vniuersalis in intuitum sui, & concursum per modum obiecti: nam intellectus noster in hac vita non concurrat immediate per modum obiecti in notitiam saltem abstractiuam sui, utpote ad quam media specie impressa à se distincta etiam iuxta aduersarios obiectiuè concurrat, & tamen ad eam concurrat velut obiectum per ipsam cognitum: ergo concurrere per modum obiecti ad aliquem actum non est concurrere utcumque ad actum, per quem potentia cognoscat: atque adeò quamuis Deus tanquam causa vniuersalis concurrat ad visionem, cuius sit obiectum cognitum, non propterea concursus causæ vniuersalis, & concursus causæ obiectiuæ in eo coincident: quapropter nisi nominibus ludere velimus, concurrere Deum per modum obiecti ad visionem sui est concurrere per modum causæ particularis, eo influxus genere, quo cetera obiecta ad actus suos concurrunt: ac concursus ille per modum causæ particularis non coincidit cum concursu per modum causæ vniuersalis: ergo nec concursus per modum obiecti.

Tandem alij opponunt, Deum concurrere libere per modum obiecti ad claram visionem sui, eiusque quasi speculum voluntarium esse: hunc enim concursum esse magis perfectum, Deoque dignum: at ea ratione non concurreret, si per speciem impressam videretur: posita namque tali specie non posset non concurrere per modum obiecti ad claram visionem sui, & facta ea suppositione tantum posset non concurrere per modum causæ vniuersalis: hic ergo posterior concursus, non vero ille prior ei liber maneret. Respondeo, suppositionem illam speciei impressæ non fore anteriorem determinatione diuinæ voluntatis, sed potiùs eam subsequutam: unde concursus per modum obiecti media eiusmodi specie exhibitus determinationis diuinæ voluntatis, Deique dominio, & libertati subesser: atque adeò per denominationem ab actu diuinæ voluntatis liber, atque indifferens esset. Quod si aduersarij in concursu obiectiuo Dei libertatem immediatam, & formalem exigunt, manifestè hallucinantur: nam concursus ille est actio transiens, quæ vel iuxta ipsos immediatè libertatis incapax est. Sed de hac questione latius in Theologia.



TRACTATVS II.

De habitibus entis spiritualis.

CAPVT I.

An aliqui habitus admittendi sint?

12 **I**SSIS variis habitus significationibus, quas ex Aristotele 3. metaphys. cap. 23. & in predicament cap. de modis habere, aliqui vsque ad fastidium inculcant; habitus, de quo modo agendum est, significat facilitatem permanentem, ac stabilem exercitio vnius, vel plurium actuum ad alios similes eliciendos generatam: appellatur facilitas, ac promptitudo, quia sine eo valet potentia simpliciter operari, licet non adeò facile, ac promptè: dicitur autem generari per vnum, aut plures actus, quia antecederet ad omnem actum facilitas, habitus nomine vsurpata, nunquam

P p 3

nunquam